IN NUPTIAS M. ANTONIJ BURGHESIJ, ET CAMILLAE VRSINAE PRINCIPUM...

Nicola Villani



VIRGINEI coetus, vos ò, Parnaſsia Tempe
Qui colitis, propterquè ſacras Aganippidos vndas
Caſtaliæ, dulces diffunditis æthere cantus,
Purpureis violis, & purpureis hyacinthis
Tempora, & omnigeno prati vernantis honore
Cingite, & ad noſtras veſtigia ferte choreas.
Ferte pedē ſimul alma Venus, geminuſq; Cupido,
Quæquè in Acidalio flauentes rore capillos
Abluitis Nymphæ, tuque Hymen ò Hymeneæ,
Luteolo niueas euinctus tegmine ſuras,
Ardenteſquè manu tædas, & flammea geſtans.
Vos quoque veridicas fundentes pectore ſortes,
Cum genus humanum ſpacium decurrere ſæcli
Incipit exoriens, & vitæ lampada ſumit,
Vos ò tergeminæ fatalia penſa ſorores
Pollice carpentes tremulo, tremuloquè mouētes
Membra ſenecta gradu, niuea cum veſte venite,
Auricomaſquè colos, & læta oracla ferentes.
Inclyta nam virgo, forma præſtante Camilla,
Vrſinæ gentis decus, & decus innuptarum,
Burgheſio iuueni coniungitur alite dextra.
Quare agite in numerū plaudentes ter pede terrā
Concinite ò pueri, dicent alterna puellæ:

Heſpere quẽ sũmo ſtellantis culmine ab Oetæ
Vidiſti iuuenem terræ omniparentis in orbe,
Virtute, & pulchris florentem moribus æquè,
Tollentemquè adeo ſpe pectora Romulidarum
Antiquam ad laudem, & Saturni tempora regis?
Macte animi iuuenis, quo nõ præſtãtior alter.
Heſpere quæ ſummo ſtellantis culmine ab Idæ
Viſa tibi eſt virgo terræ omniparentis in orbe
Sancta tuens animi tam caſto templa pudore,
Quo Latias, vetereſquè omnes Heroidas anteit,
Quæcunque ætati fecerunt nomen ab auro.
Macte animi virgo, qua non præſtantior vlla.
Illum non Pylij vincat ſapientia regis,
Cum iam primæui clauſiſſet tempora ſæcli,
Non vis Alcidæ tum, cum iuuenilibus annis
Puluere Thebano magnis præluderet auſis,
Pro quibus ætherio tandem ſucceſsit Olympo.
Macte animi iuuenis, quo nõ præſtãtior alter.
Illa Helenæ vincat ſpeciem, cum mixta Lacænis
Virginibus virgo thyaſos agitaret Iaccho.
Illa etiam præſtet Cretæam forma Ariadnen,
Quam quondam vndifrago deſertã in litore Dię
Tigribus auectam fulgens accepit Olympus.
Macte animi virgo, qua non formoſior vlla.
Ille velut myrtus, nitidi quam ripa Cayſtri
Gratam

Gratam ſuauiloquis progignit oloribus vmbram,
Aut ſibi Hamadryades ludum, Dryadeſue puellæ
Educunt quondam gelidarum aſpergine aquarũ,
Enitet, & liquidas fert ſe ſe in luminis oras.
Macte animi iuuenis, quo non præſtãtior alter.
Illa velut rutilus molli Narciſſus in horto,
Albauè Parthenice, quam roſcidus educat imber,
Aurarumq; animæ clementi flamine mulcent,
Virgineo donum capiti, aut ſolemnibus aris,
Os nitidum cælo tollit, pulchrumquè renidet.
Macte animi virgo, qua non formoſior vlla.
Ceu taurus quondam thyrſo perculſus amoris
Suſpirat niueæ connubia prima iuuencæ:
Iamq; ſylam, iamq; ingentem clamore Taburnũ
Perſonat errabunda pedum veſtigia portans:
Sic deſiderijs animum deuinctus honeſtis
Prægeſtit iuuenis thalamo coniungere amores,
Virgineoquè ſinu Iunonia ſoluere vincla.
Heſpere quid ceſſas? iã ſuſcitat æquore ſe nox.
Ceu quondam trepidat volucris torquata Diones,
Cum forte accipitrem vidit ſub nube volantem,
Iamque petit nigra velatas fronde latebras,
Muta metu, nec iam aerias innare per vndas,
Candidaquè alarum meditatur pandere vela:
Sic iuueni caſtos pauitat coniungere amores,
Clauſtraquè virginei virgo reſerare pudoris.

Heſpere quid properas? Nõ dũ ruit Oceano Sol.
Talis apud Phthiam ſator armipotentis Achillei
Ardebat Peleus in virgine Neptunina.
Cum ſuperi humanis dignati accumbere menſis
Dulcia per longam traherent conuiuia noctem.
Heſpere quid ceſſas? iã ſuſcitat æquore ſe nox.
Talis ab amplexu caræ diuulſa parentis
Ibat Romano quondam tremebunda tumultu
Herſilie virgo, ſibi cum fallacibus armis
Romulidum pubes connubia læta pararet
Heſpere quid properas? Nõ dũ ruit Oceano Sol.
Tu fuge cum tali virgo pugnare marito,
Qui te plus oculis, anima plus diligit ipſa.
Et dabit amplexus, & apis de more Matinæ
Gratum floridulo libabit nectar ab ore.
Veſper adeſt, felix ò Veſper amantibus adſis.
Tu miti alloquio iuuenis ſolare puellam,
Quæ non amplexus, non oſcula dulcia nouit.
Sed vultus niueos concharum picta colore
Flagrantes pudibunda ſolo demittit ocellos;
Sis bonus, & fęlix ò Veſper amantibus adſis.
Iam vario thalamum fluctu conſpergite odorum,
Stactæquè Arabiæ, & nardi ſpicæquè Ciliſſæ,
Armeniamquè auram plenè ſeruantis Amomi,
Et colludentes ad puluinaria læta
Crinibus Ambroſiam teneri diffundite Amores.
Sis bonus, & fęlix ò Veſper amantibus adſis.

Iam vario thalamum nimbo conſpergite florum
Liliaquè inuerſis demittentes calathiſcis,
Mixtaquè purpureis vaccinia nigra amaranthis,
Et colludentes ad puluinaria læta
Crinibus ambroſium Charites diffundite rorem.
Sis bonus, & fęlix ò Veſper amantibus adſis.
Scandite iam tandem genialia fulcra metallo
Splendida regifico, ſolidoquè polita elèphanto,
Et ludo inſomnem iuuenes traducite noctem,
Dulciter & feſſos videat Matuta recurrens.
Ludite caſta bonis gaudet Cythereia ludis.
Iam premite ò iuuenes Tyrio ſaturata veneno
Strata tori, & picta in plumam Babylonia texta.
Et ludo, & molli noctem traducite ſomno,
Dulciter, & poſitos videat Matuta recurrens.
Ludite, caſta bonis gaudet Cythereia ludis.
Quis ludi numerum veſtri ſubducat amantes?
Ille prius numeret, quot millia multa volucrum
Aëra concelebrant vacuum, quot muta natantũ
Sæcula ſquãmigerum proſcindũt æquoris vndas,
Terra feras, magnus quot paſcit ſydera mundus.
Ludite, caſta bonis gaudet Cythereia ludis.
Ille prius numerum bibulæ ſubducat arenæ,
Quam Notus arenti ſubuertens concitat vnda,
Extremos inter vicino Sole peruſtos
Niligenas, & laſerpiciferam Berenicen,
Quam

Quam veſtri numerare queat tot millia ludi.
Ludite, caſta bonis gaudet Cythereia ludis.
Ocyor & ceruis, & fluminis agmine prono,
Quodque pharetrigeri iaculum torſere Cydones,
Annorum decor, & viridis præteruolat ætas.
Ludite, dum vobis annorum tempora vernant.
Ocyor & ventis, & pennipotentibus aurei
Solis equis, trifidoq; igni, quem Iupiter altis
Nubibus increpuit, viridis præteruolat ætas.
Ludite, dum vobis annorum tempora vernant.
Omnigeni flores rigidis moriuntur in agris,
Circius vt gelida veniens bacchatur ab Arcto.
Omnigeni flores lentis oriuntur in agris,
Cardine ab occiduo cum murmurat aura Fauoni.
At nobis cum verna ſemel defloruit ætas;
Aeternas ducendum hyemes, annoſque niuales.
Ludite, dum vobis annorum tempora vernant.
Serus in Oceano Sol mergitur Atlantæo,
Aurea præclari ſubducens tela diei.
Mane ſed Eois idem caput exerit vndis;
Et croceam terris iaculatur ab æthere lucem.
At ſemel, vt nobis vitæ lux occidit alma,
Ferrea perpetuum nox eſt ducenda per æuum.
Ludite, dum vobis ætas nitidiſsima fulget.
Iam veſtro è ludo naſcatur paruulus infans,
Qui formoſa ſuæ complexus colla parentis
Brac-

Brachiolis teneris, tenera ceruice reflexa;
Rideat ad patrem diductis dulcè labellis.
Eiaq; age fer nonũ properanter Delia mensem.
Iam vestro è ludo nascatur paruulus infans,
Qui matris vultus, qui reddat imagine patris.
Et mox incipiat risu cognoscere matrem,
Rideat, & patri, pater & cui rideat ipse.
Eia age fer nonum properanter Delia mensẽ.
Aurea nascatur vestro de semine proles,
Quæ magnis animi mentem virtutibus aucta
Priscorum referat præstantia facta parentum.
Nec decus in terris maius vaga sydera cernãt.
Aurea nascatur vestro de semine proles,
Quæ maiora fide priscorum facta parentum
Adprobet, egregiosq; super generi addat honores.
Nec decus in terris maius vaga sydera cernãt.
Nascatur vobis magni mens prouida patris
Martigenæ, pietasquè Numæ, nascatur & ingẽs
Gloria, Burghesiæ quæ profert nomina gentis
Aestiferos vltra flexus, gelidosquè reflexus
Solis, & extremi circumuaga cærulea ponti.
Nec decus in terris maius vaga sydera cernãt.
Nascatur vobis magni mens prouida patris
Dardani, & Aenææ pietas, nascatur & ingens
Gloria, quæ profert solui metuentibus alis

Vrsi-

Vrſinæ decora alta domus confinia præter
Lucis & eſtremi circumuaga mœnia Cęli.
Nec decus in terris maius vaga ſydera cernãt.
Burgheſiam gentem qui non nouere receſſus?
Nobile ſemideum genus alta ab ſtirpe parentum,
Auſoniæ columen, quo non præſtantius vllum
Iuſtitiam colere, & populos frænare volentes
Inclyta Dardaniæ clauſerunt mœnia Romæ.
Non decus in terris maius vaga ſydera cernũt.
Vrſinam gentem qui non nouere receſſus?
Nobile Scandiadum genus alto à ſanguine regũ,
Sæpe quod inuictos pugnando contudit hoſtes,
Horridaque Auſoniæ defendit bella, manuque
Dardaniæ fulſit nutantia moenia Romæ.
Non decus in terris maius vaga ſydera cernũt
Burgheſium titulos, trabeataque nomina fando
Vincere quis poſsit? canæ quis prouida mentis
Conſilia, & iuſtas leges, vitamque ſeueram,
Atque afflata Deo diuini pectora Pauli?
Quem ſacra tergeminis redimitũ tempora vittis,
Magnorum & regum primũ, primoque ſecundũ
Ab Rege ætherio, metuunt Acheruſia templa,
Terra colit ſupplex, & maximus optat Olympus.
Non mihi gurgitibus ſeptem ſi magnus ab ore
Proflueret Nilus, mentemq; impleret Apollo,
Eſſe

Esse queam satis ad tantæ præconia laudis:
Non decus in terris maius vaga sydera cernũt
Vrsinos proceres meritis quis tollere posit
Laudibus? egregiam bello, & victricibus armis
Progeniem, quæ iura viris, legesque rogauit
Ausonijs, lauro quondam, & Dodonide quercu,
Tergeminaque adeo crines euincta tiara.
Carmine Pierio digne quis tollcre posit
Vrsinos proceres, quis nunc Saturnia floret
Terra viris, magnoque parem se iactat Olympo?
Non mihi si dulces afflaret suada loquelas,
Si linguæ centum, si vox adamante sonaret,
Non ego sim satis ad tantæ præconia laudis.
Non decus in terris maius vaga sydera cernũt
Vos igitur talem iuuenes procudite prolem,
Ingentem, egregiam, cuius velit orbis vterque
Legibus, imperioque premi, nec iam amplius alto
Inuideat sublimem arcem, & sua lumina Cęlo.
Nec decus in terris maius vaga sydera cernãt.
Vos propagando talem procudite prolem
Magnanimi heroes, quam bello; & fortibus ausis
Aeternis dignam imperijs, iustique potentem
Inuideant nobis cœli fulgentia templa.
Nec decus in terris maius vaga sydera cernãt.
Desinite

Desinite ò tandem pueri, innuptæq; puellæ
Fœlicem alternis noctem mulcere Camœnis.
Et iam dulcis Hymen primæ post aspera pugnæ
Prælia, concordi certamine iungit Amantes.

FINIS.

